



## **Zdigitalizowano w ramach projektu „OCHRONA I KONSERWACJA CIESZYŃSKIEGO DZIEDZICTWA PIŚMIENNICZEGO”**



**2007-2010**

Wsparcie udzielone przez  
Islandię, Liechtenstein oraz Norwegię  
poprzez dofinansowanie  
ze środków Mechanizmu Finansowego  
Europejskiego Obszaru Gospodarczego



Zrealizowano  
ze środków  
Ministra Kultury  
i Dziedzictwa  
Narodowego

DDA 8-17  
Sanctissimi in Christo Patris et Domini Vostri  
Domini Pii Divina Providentia Papae VIII Litterae  
Apostolicae, quibus Societas IESU in Imperio Rossi-  
aco approbatur et confirmatur.

Dilecto suo Francisco Kareu Presbytero, ac Superi-  
ori Congregationis Societatis IESU in Imperio Ros-  
siaco Pius PP. VIII. Dilecte Fili, Salutem, et Aposto-  
licam benedictionem.

Catholicae Fidei in Amplissimis Rossiaci Imperii  
Regionibus conservandae et excolendae, nec non spi-  
rituali Fidelium Regimini instaurando prospiciens  
rev. mem. Pius PP. VII Praedecessor Noster annuente Ca-  
tharina II. tunc in humanis agente, totius Russiae Im-  
peratrice, per Apostolicum Legatum Joannem Andream  
Archiepiscopum Sabinensem, unam Cathedram Archi-  
episcopalem cum suo Capitulo in Civitate Mohiloviae  
erexit, eidemque in Archi-Episcopum et Pastorem  
praefecit Venerabilem Fratrem Stanislaum Siestren-  
cem cum ordinaria facultate ac potestate super  
Catholicos Latini Ritus in iis omnibus provinciis,  
ac Regionibus totius Rossiaci Imperii, in quibus nul-  
la esset erecta sedes Episcopalis. Novis aliis provin-  
ciis, quae pridem Regi ac Reipublicae Polonicae  
suberant, Imperio Rossiaco adiectis, praecleara sen-  
tissimi Imperatoris Pauli I in Catholicos voluntate  
factum est, ut idem Praedecessor Noster Pius Pontifex VII  
per alterum Legatum Venerabilem Fratrem Laurentium



Archi: Episcoporum Thebarum Episcopales Catholicorum  
Graeci ac Latini Ritus Cathedras in iisdem Regionibus  
dudum erectas, firmaverit, stabiliverit, atque Apostolica  
auctoritate muniverit, ipsam quoque Mohiloviensem  
Ecclesiam Metropolitana potestate auferit, et decoraverit,  
Verum quamvis multa hinc sint ex Apostolicae Sedis pro-  
vintia et supremi Principis Pauli I. benignitate Catholicis  
ad eorum spiritualem salutem comparata subsidia, quid  
tamen illa sunt, aut quomodo satis esse possunt in tanta Regno-  
rum latitudine, quae in Europae et Asiae partes protendi-  
tur, in quibus nec ullae sedes Episcopales, nec Regularium  
ullius Ordinis Coenobia, exiguae, vel nullus Sacerdotum Nu-  
merus, plurimi pascua quaerentes, sed non habentes, qui  
pascua salutaria demonstret, ut idcirco nos, qui Pastores  
sumus in universa domus Israël repetere saepius cum Christo  
Redemptore Nostro debeamus. = Messis quidem multa, operarii  
autem pauci. = Quamobrem cum nonnulli exstinctae per  
Apostolicas Clementis PP. XIV. Praedecessoris Nostri litteras  
Societatis IESU Presbyteri in illis Partibus a pluribus an-  
nis commorantes, erudiendae ac bonis moribus et fi-  
dei catholicae rudimentis imbuendae juventuti, Verbi Dei  
praedicationi, ac Sacramentis administrandis sese ob-  
stringere valde exoptent, eorum praesertim opera uti  
se velle ad spiritualem Catholicorum subditorum suorum  
curam ac institutionem Clementissimus Imperator Paulus  
I. declaravit, eosque in unum corpus coniungi, ac Nostra  
Auctoritate muniri enixe postularit, Tu itaque tuos, ac  
praedictorum ipsius degentium Presbyterorum nomine hu-  
millimas ad Nos dedisti preces, in quibus obsequenti animo  
supplicasti, ut, quo nec coetus iste ac Societas Vestra nullis  
solicita praesidiis, quibus Apostolica Sedes Regulares Ordines



ac Congregationes munire consuevit, eorum qui nunc vivunt,  
interitu dilabitur, in Societatem vos, pristinam uniri, et  
canonice posse existere Apostolica auctoritate Decerne  
remus. Nos, qui ad Apostolicæ Verritutis onus, quamvis im  
paribus viribus subeundum a DEO vocati sumus, nullum <sup>pro nos</sup>  
tra pastoralis sollicitudine praetermittere officium debemus, quin  
Clericos et Presbyteros, qui studium et laborem in excolenda vi  
nea Domini non refugiunt, novis stimulis excitemus et  
gratias etiam ac favoribus prosequamur. Nihil vero ad vitia  
rescanda ac morum disciplinam retinendam, ac fidei prae  
ceptis plebem informandam aptius remedium adhiberi posse  
censemus, quam Ecclesiasticos viros in unum corpus sociatos  
communibus Legibus ac Institutis sub unius Praesidis potes  
tate coniungere, ut dimicando aduersus humani generis hos  
tem, quae eius multiplices atque insidiosae artes nocendi sunt,  
non dispersis, et disiunctis viribus, sed uno veluti agmine factis,  
ac districto Verbi Dei gladio frangant illum, penitus et ex  
pugnent. Vere enim tunc expletur Regii Psultis votum = O quam  
bonum et jucundum habitare Fratres in unum... quoniam  
illis mandavit Dominus Benedictionem et vitam usque in saecu  
lum = et iterum alio loco = habitantes in domo Domini  
vnius moris et labii sunt dulces simul capientes cibos in  
domo Domini cum consensu. Non eos sane cibos, qui ani  
mae vires augent, reficiuntque famelicos panem quaerentes  
nec inveniunt, qui illum vis porrigat. Aequa igitur ac  
honestæ cura est sit, et catholicae Religionis cultoribus peruti  
lis hæc postulatio tua, maximum vero ei pondus accedit  
et potentissimi, ac praeclarissimi Imperatoris Pauli I. com  
mendatione. Jam enim humanissimis suis ad nos datis  
litteris die XI. Augusti superioris Anni Millesimi Octin  
gentesimi, benevolæ se admodum erga vos esse animo osten



Dit, vestramque postulationem a Nobis admitti gra-  
tissimum sibi fore significavit, utilissimum ratus  
catholicos subditos suos hoc novo spiritali prae-  
dio juvare; nihil enim magis ad juventutem in Dei  
cultu, in morum disciplina, in obsequio erga sub-  
limiores potestates informandam conducere, posse  
arbitratus est, quam si Ecclesiastici, probatique  
Viri huic subeundo oneri praeficiantur, quod de  
vestra fide, integritate ac Scientia sibi maxime  
pollicetur. Quare jam in primis Templum, quod  
pro Catholicis Petropoli aedificatum est, vobis cus-  
todendum, ac sacris Ministeriis celebrandum li-  
beralitate magna commisit; Collegia instaurare,  
ac vobis commendare, aliaque moliri paratus est,  
quae Nostrae communionis hominibus maxime pro  
futura confidimus. His autem tantis, ac tam Magni  
Principis in nostros Catholicos collatis beneficiis  
nonne gratiam referre debemus, ejusque votis assen-  
tiri, nec sinere irritam, ac inanem apud vos esse  
vestram ab Eo susceptam commendationem? Perpen-  
dis itaque rebus omnibus, ac praesertim mature con-  
sideratis iis temporum, locorumque ac personarum  
varietatibus, quae nova consilia capessenda, aut pri-  
ora moderanda, prout Ecclesiae utilitas postulat no-  
bis, qui supremi ejusdem Moderatores sumus, suadent  
ac prope imperant; imploratis primum cunctis preci-  
bus Divini Numinis praesidio, accitisque in consili-  
um nonnullis S. R. E. Cardinalibus, postulationes vestras  
benigne excipere volentes, Te, tuosque socios a quibusvis  
Excommunicationibus, Suspensionis et interdicti, aliisque



Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a Jure vel  
homine quavis occasione, vel causa latis, si quibusquo,  
modolibet innodati existitis ad effectum praesentium  
tantum consequendum, harum serie absolventes  
et absolutos fore censentes, motu proprio, certa sci-  
entia, et ex Apostolicae Vestrae potestatis plenitudine  
Te, ceterosque Presbyteros isthic degentes, aut qui in pos-  
terum adventuri sunt, quique dudum istiusmodi congre-  
gationi nomen dederunt, ut deinceps daturi sunt, in unum  
corpus, et Congregationem Societatis IESU uniri, aduna-  
ri, coniungi posse, intra tamen Rospraci Imperii fines  
duntascut, et non extra, in una aut pluribus domibus ar-  
bitrio Superioris designandis, eadem Apostolica Auctoritate  
permittimus et indulgemus. Hujus autem Congregationis  
Superiorem seu Praesidem Generalem ad nostram, et Sedis  
Apostolicae beneplacitum, Te, dilecte Fili deputamus et  
constituimus cum omnibus facultatibus necessariis et  
opportunis, primigenam Sancti Ignatii Regulam a  
Paulo PP. III Praedecessore Nostro suis Apostolicis Constitu-  
tionibus confirmatam et approbatam sequi et retineri  
posse concedimus, tuosque, quos in Congregationem  
cooptaveris socios ad puerorum institutionem in  
bonis moribus et disciplinis incumbere, Collegia et  
Seminaria regere, et probantibus, et consentienti-  
bus Locorum ordinariis, Confessiones Fidelium escu-  
cipere, Verbum Dei annuntiare, Sacramenta admi-  
nistrare, libere et valide posse item decernimus, ac  
declaramus. Vosque praeterea omnes, et Congrega-  
tionem istam Societatis IESU sub Vestra et Sedis Aposto-  
licae immediata protectione ac subiectione recipimus,



et quae ad illam firmandam et commendandam  
atque ab abusibus et corruptelis, si quae inesse-  
rint repurgandam in Domino visum fuerit ex-  
pedire, nobis et successoribus vestris praescribenda  
ac facienda reservamus. Decernentes has Nostras  
praesentes Litteras semper firmas, validas et effi-  
caces fore, et esse, suosque plenarios et integros ef-  
fectus sortiri, et optime debere, ac illos, ad quos spectat,  
et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia ple-  
nissime suffragari et ab eis respective, inviolabiliter  
observari. Non obstantibus quibusque ordinationibus  
et constitutionibus Apostolicis Statutis, et consuetudinibus  
privilegiis quoque et indultis et Litteris Apostolicis in con-  
trarium praemissorum quomodolibet concessis, et inno-  
vatis, ac illis praesertim Clementis PP. XIV. incipien-  
= Dominus ac Redemptor = sub annulo Piscatoris expeditis  
die XXI Julii MDCCCLXXIII. In iis dumtaxat, quae praesentibus  
nostris contraria sunt, et pro Dominio Imperii Proprii  
tantum. Quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus  
pro plene et sufficienter expresso, et ad verbum  
inserto habentes, illis alias in suo robore permanen-  
tis, et praemissorum effectum tantum specialiter et ex-  
presse derogamus caeterisque in contrarium qui-  
buscunque. Volumus autem, ut earundem praesen-  
tium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam im-  
pressis, manu alicuius notarii Publici subscriptis,  
et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitu-  
tae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra  
adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent



exhibita vel ostensa. Datum Romae apud  
Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris.  
Die VII Martii MDCCCI. Pontificatus Nostri Anno  
Primo.

L. S. R. Cardinalis Braschius  
de Honeftis.  
Imprimatur.

Casimirus Skyszko Praelatus Custos Nobilio-  
viensis Surrogatus Consistorii Metropolitani.





[ksiaznica@kc-cieszyn.pl](mailto:ksiaznica@kc-cieszyn.pl)